



Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. I. Persecutio Diocletiani in Christianos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

D. HAYMONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER IIX.
CAP. I.

Persecutio Diocletiani in Christianos.

In terea nonus decimus annus erat Imperij Diocletiani, & incipit fieri persecutio in Christianos ab eo per maxima; justo equidem Dei judicio, & necessaria correctione, dum jam multa libertate, multa indulgentia vitiati sunt mores nostrorum, & disciplina Ecclesiarum corrupta; dum fides nostra per diversa dogmata scinditur, & ob id vilescit; dum Prælati, & Rectores, & duces populi, humilitatis Christianæ & synceritatis obliti, adversum se odiis & contentionibus inflammantur. Tunc ergo nephanda edicta Principis proponuntur; ut cunctæ Ecclesiæ usque ad solum destruantur, Sacrae Scripturæ comburantur igne, & si quis nostrorum staret in honore, privatus eo, maneret infamis. Denique qui præsunt, jubentur simulachris immolare, alioquin conjici in vincula, ac torqueri. Igitur in Nicomedia & Thebaide, & Phœnico, & Alexandria, denique per totam Ægyptum & Phrygiam, & Syriam, & Cappadociam, & cætera undique loca, turbo persecutionis tam immensus, & intolerabilis fuit, ut ex ipsa nimietate & atrocitate gestis Martyrum deroger fidem. Alii flagris discerpuntur; alii fodiuntur ungulis, alii gladio obturcantur, alii pati-

patibulis affiguntur, alii præcipitantur in mare, alii post
tergum vinctis manibus appenduntur, & trocleis di-
stenti membris divelluntur: alii testis fictiliū vasculo-
rum lacerantur, donec tota eorum eradatur cutis; alii
damnantur ad bestias, leones, ursos, pardos, tauros, a-
pros, & ad omne ferarum genus. Ipsi Sacerdotes Ec-
clesiarum nudantur inverecunde, huc atque illuc ab
impiis trahuntur. Proh nefas! quæ homicidiis, adul-
teris, venenariis, ac sepulchrorum violatoribus fuerant
fabricata, nunc Episcoporum, Presbyterorum, Diaconi-
orum, cæterorumque Religiosorum, colla constrin-
gunt, ita ut criminosis nec vincula superessent, nec lo-
cus ergastuli. Tanta ergo scelerati principis satelliti-
bus inerat libido torquendi, ut vacarent per otium ad-
excogitandos novos cruciatus. Quibusdam sub un-
guibus acutas infigunt ründines: quibusdam plumbum
igne liquefactum dorso diffundunt, usque ad loca pu-
denda, quibus egestio naturalis procurari solet. Fœmi-
nisque cadentis ferri & exusti plumbi massæ, absque ul-
lo humanitatis respectu, per pudenda visceribus mer-
guntur. Et si tortores alicubi duas vicinas arbores si-
bi inveniebant, ramos ad se inflectebant, eisque singu-
lis singulos Martyrum pedes ligabant; atque rami, cum
ad simum suum naturali impetu referrentur, disceptis
divulsisque visceribus avulsa secum membra rapiebant.
Tunc apud Antiochiam inter cæteros agones quiddam
mobile factum est, quod silere non debeo. Duo juvenes

com-

comprehensi, immolare coguntur. Ajunt: *ducite nos ad aras.* Qui cum adducti fuissent, manus suas supponentes igni; *Si substraxerimus, inquiet, sacrificasse nos credite.* Et quoad usque caro omnis in ignem deflueret, immobiliter perdurant. Itaque cum jam crudelitate satiatus Imperator aliquantulum resipisceret, proponit edictum, ut jam Christiani morti non tradantur, sed dextris oculis ferro effossis, & sinistro pollice sauciato sic permaneant. Sed cum statum Ecclesiæ crudeli animadversione vastari illum æternum ac pervigilem non lateret oculum, castigata in paucis familia sua, adest continuo ultrix Dei dextra in Imperatores *Diocletianum & Maximianum*; quorum alter in Occidente, alter in Oriente vastaverat Ecclesiam, ita ut nutu divino subito permutati, deposita purpura, cæterisque imperialibus ornamentis, plebei fiant, ac privati post Imperium. Tunc ergo jam per vim & contentionem Romano Imperio in duas procurationes diviso, *Maximinus* in Orientis partibus regnat, rapiens nomen Augusti; *Constantius* in Occidente. Hic **Constantius** erga nostros clementer agit. Sed & **Maxentius**, Maximini Herculii filius, collegæ Diocletiani, in urbe Roma dominium occupat, & exercet tyrannidem. Hic magicam secutus artem totam Roman scelerum flagitiis, & fæce impunitatis replet, gloriam nobilium obscurat, Senatores proscribit, matronis nobilibus abutitur.

HISTO 3

CAP.